

DE AMICITIIS.

Conclusio prima. Paucos filios habiturum, arguunt cuspis quintæ domus, dominus eius, pars filiorum, dominus eius, & Venus, omnia in signis paucorum filiorum, denique Iupiter in sterili, Almuten denique super hæc loca, Saturnus & Mars, Saturnus in signo paucorum, Mars uero in sterili. Item Luna aspiciens partem cælati ex quadrato.

Conclusio secunda. Veruntamen filios habiturum, trahitur ex eo quod Almuten filiorum cū domino ascendens habet Ictisal, denique Iupiter in ascendente.

Conclusio tertia. Vnum filium & tres filias generaturum esse, portendunt Iupiter masculinus, Luna foemina in signo foeminino, Venus foemina occidentalis à Sole. Luna uero duplicat suum numerum, propter Scorpionem. Idem arguitur quod inter Lunam secundam dominam triplicitatis loci Iouis fortiorem inter duos primos, & ascendens, sint duo signa, quorum unum est multorum filiorum.

Conclusio quarta. Filium tamen breuiuicturum, aut debilem eius uitam, indicat Iouis retrogradatio & debilitas.

Conclusio quinta. In reliquis etiam impedimentum & debilitatis aliquid ostenditur, quod Saturnus præfens sit parti filiorum, & Sol ex quadrato eandem damnet.

Conclusio sexta. Natum hunc filium esse patris, cuius existimatur, & in commodum, ac utilitatem patris natum, arguunt receptio domini ascendens & Solis, Item sextilis inter partem patris & partem matris, & trinus inter dominos partium.

CAPVT DECIMUM QVARTVM.

De amicitijs & inimicitijs nati.

DVplex est amor. Quidam enim est amor durans longo tempore ad finem usque, qui amicitia appellatur. Alius uero amor ad breue tempus durans, qui societas dicitur. Similiter odium est duplex, quoddam durans, inimicitia uocatur. Et quoddam odium ad breue tempus durans, discordia uocatur. In horum determinatione quatuor loca principaliter considera, locum Solis, Lunæ, ascendens & partem fortunæ. Si enim prædicta quatuor in duorum natorum genituris in eisdem signis permanserint, uel in parte, uel in toto loca commutauerint, maxime si inter utraq; ascendentiâ fuerit fere distantia 17. graduum, amorem fixum, qui nec separabitur, nec turbabitur, fore dicemus. Si autem prædicta loca in nullo adinuicem concordauerint, uel sese ex opposito respexerint, erit inter eos naturalis inimicitia, nec proles cum prole concordabit, sed sibi inuicem longo tempore aduersabuntur.

Si hæc quatuor loca in duabus genituris, nec ex parte signorum, nec ex commutatione locorum adinuicem concordauerint, sed ex trino, uel sextili radio se mutuo aspexerint, mediocris inter eos erit dilectio. Sed si ex quadrato se aspexerint, minores discordias inter eos fore non dubitamus. Verum tales inter colloquendum component lites, ac se mutuo paruipendent, hoc enim accidit, quando infortunæ per hoc aspectum transuerint. Similiter in prædicta discordia inter eos pax & concordia reperitur, quando fortunæ aspectuum loca transuerint, & radios benignos, aut semetipsos interposuerint.

Propter tres causas homines ita discordes sunt. Prima, propter uoluntatem discordantium & concordantium. Secunda propter commodum & damnum. Tertia, propter delectationem, quam alius habeat de alio. Si enim prædicta quatuor loca, uel eorum plurima inuicem assimilabuntur, amicitia ex his omnibus speciebus congregabuntur. Si autem adinuicem non concordauerint, inimicitia ex his colligentur. Si autem luminaria adinuicem concordabunt, necessario adinuicem procreabunt dilectio, quæ